



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

58. An quando bona alicujus sunt publicata ipso facto, v. g. propter hæresim, aut læsam majestatem, possit ante criminis condemnationem facere eleemosynam? Ex p. 5. t. 8. r. 40.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

*dub. 7. diff. 7. conclus. 8.* vbi sic ait: [La restitucion de la limosne dada por la fantidad, y pobreza fingida non se ha de restituír al dante sino a los otros pobres, porque el limosnero la dio por amor de Dios para socorrer al pobre en quanto pobre, aya al mismo Iesu Christo nuestro Señor, que dixo, *Quod vni ex meis fecistis, mihi fecistis.*] Sic ille, & ante illum Nauarrus, Medina, Adrianus & Caietanus penes Molinam *de iust. tom. 1. tract. 2. disp. 210. num. 4.* Cui licet in rigore prima opinio placeat, quia tamen regulariter non cognoscuntur, qui elemosynas ita dederunt, præsertim si multi, & in parua quantitate eas dederunt, difficileque admodum & cum modico cuiusque emolumento fieri illis potest restitutio, atque de singulis est præsumendum, quemadmodum amore Christi id dederunt, ita voluntatem eorum esse, vt amore eiusdem Christi inter pauperes distribuatur, regulariter faciendâ erit pauperibus, aut in aliis pijs operibus crit infumenda; si tamen aliquis quantitatem magnam dedisset, conueniri que posset, interrogandus esset quid de sua portione vellet fieri, suadendisque esset, vt pauperibus distribuere, aut in alijs operibus infumeretur. Ita Molina. Vide etiam Vaquez *opusc. de Restitutione cap. 3. dub. ult. num. 24.* & Castrum Palaum *tom. 1. tract. 6. disp. 2. punct. 14. num. 7.* asserentes vtrique restitui posse & domino & pauperibus, cum vtraque opinio sit probabilis.

Sup. hoc in Resol. not. præterita, §. Cui. & §. Quid. & in Res. præterita §. Verû. prop. fin. vers. Contra vero.

## RESOL. LVIII.

*An quando bona alicuius sunt publicata ipso facto, v.g. propter hæresim, aut lesam Maiestatem possit ante criminis condemnationem facere elemosynam? Ex part. 5. tract. 8. Res. 40.*

§. 1. **N**egatiuum sententiam ex Ledesma & Medina docet Azorius *tom. 2. lib. 12. cap. 12. qu. 4.* quia etsi talis ante criminis condemnationem possideat, prohibetur tamen donare, alienare, & distrahere. 2. Ego tamen contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhareo, quam nouissimè tuctur Coninch *disp. 27. dub. 5. num. 63.* vbi sic ait: Illi qui commiserunt crimen, ob quod eorum bona sunt de iure confiscata, quamdiu hæc ipsi per sententiam eiusque executionem non auferuntur, possunt ex his dare elemosynas, sicut prius, quia tandiu retinent eorum vsum, & possessionem, possuntque iis sicut antea frui. Ita ille. Vide Suarez *de legibus, lib. 5. cap. 8. num. 5.* & Vaquez *in part. 2. disput. 170. cap. 3.* cum Reginaldo *tom. 1. lib. 4. cap. 21. num. 270.*

## RESOL. LIX.

*Quidam habebat facultatem distribuendi pauperibus certam pecuniarum summam; quasuit à me documenta aliqua ad tollendos scrupulos. Et difficultas est, quisnam dicatur pauper? Ex part. 2. tract. 15. & Misc. 1. Res. 8.*

Sup. hoc inf. in Res. 61. & 62. & pro contento in hoc §. 1. in Res. 2. huius not. & in to. 6. tr. 9. Res. 63. cursum in §. Sed.

§. 1. **R**espondi, quod is cui committitur electio pauperum, non habet necesse eligere pauperiorem. Ita Bartol. *in l. vnum ex familia, §. in fine, de legat. 2.* Bald. *in l. cum quidem, ad fin. de legat. 2.* Nam locus est gratificationi, nec peccat, qui vnum pauperem alteri prætulit. Idem Bald. *in repet. l. 1. m. 31. vers. item queritur, de sacros. Eccles.* Hæc omnia Cardinalis Mantica *de coniect. ultim. volum. lib. 5. tit. 5. n. 6.* 2. Sed difficultas manet, quisnam dicatur pauper. Respondeo, & dico primò, id totum esse arbitrio boni viri remittendum, qui iuxta qualitatem personatum

iudicet, quis dicatur pauper. Ita Mascad. *ubi inf. n. 14.* & DD. *in l. si constante, ff. solut. matr.* At ita generaliter loquendo, res adhuc manet intricata scrupulis. Dico igitur secundò, sub nomine pauperum intelligi omnia loca pia, vt Hospitalia, Ecclesias indigentes luminaribus, ornamentis, ædificijs, & Monasteria Religiosorum; vnde habens facultatem distribuendi aliquam elemosynam inter pauperes, potest etiam eligere Religiosos. Ita Ioan. Andr. *in c. 1. in Nouella de testam. lib. 6.* & Imol. *in l. captatoris, in fine, de leg. 1.* Et etiam Religiosus, cui data est electio, potest bona distribuere inter Religiosos sui Monasterij, vt notat Card. *in Clem. 1. num. 22.* Imol. *n. 18.* & Anch. *16. de testam. Dico igitur, quod tertio ille etiam dicitur pauper, qui victum potest querere, vel querit ex labore suo.* Ita Baldus per illum textum cum glossa *in l. pauperis, ff. excusat. tutor. & Iason in l. nisi constante, m. 11. ff. solut. matr.* Vnde M. Antonius Genuen. *in suis prædicabilibus, Tract. tricenar. 13. q. 387. n. 2.* asserit legatum relictum pro dote puellæ pauperis, etiam deberi, si illa potest viuere, vel viuat ex labore suo: quod est valde notandum. Dico quartò, quod pauper etiam dicitur ille, qui non solum non habet vnde viuat, sed etiam, qui non potest commodè, & honestè viuere secundum suam conditionem, vt sunt multi artifices, & personæ etiam altioris conditionis, quæ agrè admodum vitam sustentant. Vnde Iacobus Mandellus *l. 1. conf. 69. n. 7.* ex Bald. *in l. si quis ad declinandam, col. 2. vers. sic circa tertium, C. de Episc. & Cler. sub nomine pauperis intelligit nobilem, cui imminet onus dotandi filias, & eas nuptiis tradere, & commodè dotare non potest, licet habeat tantum quantum sufficit ad alimenta, & sic ait Mandellus, debet ei tanquam pauperi distribui legatum factum pauperibus. Vide nostrum Megal. *in part. 2. lib. 2. c. 2. q. 2. n. 12.* & præter Doctores, quos ipse citat, tenet etiam hanc opinionem ex Ciuilibus, Natta *col. 3. conf. 590. n. 14.* Alciat. *in l. quos nos host. §. locupletis, m. 17. de ver. sign.* & alij. Ex Theologis Molina *de iust. tr. 2. disp. 747. n. 1.* Reginald. *in praxi, tom. 1. lib. 10. c. 14. sect. 1. n. 197.* Filliuc. *in quest. mor. tom. 2. tr. 32. c. 4. n. 95.* Nauar. *de rest. lib. 4. c. 2. n. 50.* Nauar. *in man. c. 17. n. 95.* Vaquez *opusc. de rest. c. 5. §. 4. dub. 1. n. 6. & 12.* cum alijs. 3. Ex his apparet, me olim rectè consuluisse, pauperem dicendum esse quemdam, licet vnica quadraginta annuales haberet: nam cum simul haberet matrem, non poterat secundum suam conditionem decenter viuere. Et, vt ait Bannez, & Caiet. *2. 2. quæst. 41. art. 8.* pauperes non solum dicuntur, qui egent cibo, potu, & veste, quæ sunt necessaria naturæ, sed qui egent opportunis ad conuenientiam sui status. 4. Notandum est verò, quod omnia supradicta sunt admittenda, quando aliter non constaret clarè, vel ex coniecturis de mente, & intentione testatoris, vel legatarij: nam tunc elemosyna esset distribuenda inter illos pauperes, quos ipse in particulari voluerat.*

## RESOL. LX.

*An in distribuenda elemosyna inter pauperes præferenda sint Moniales viris Religiosis? Et an si inter executores testamenti est contentio super electione pauperis, deuoluatur ad Episcopum, vt adhibeatur vni ex executoribus? Et an hoc intelligatur data paritate inter pauperes, ab vtroque executore nominatos, & non aliter? Ex p. 1. o. tr. 13. & Misc. 3. Res. 5.*

§. 1. **A**ffirmatiue respondeo. Et ita docet Lud. Mellia *in Prag. Taxa panis, concl. 1. n. 42.* vbi sic asserit: Si inter executores testamenti, electio contentio super electione pauperum, res deuoluitur ad Episcopum: